



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

me simillimum non esse dolerem: quibus propter formam, quemadmodum est in fabulis, contigit, ut misere amarentur. Sed torquebat in primis, ac supra quam dici aut credi potest dilacerabat & cruentabat cor meum obtrectatio crudelis & atrox, quæ etiam zelotypia dicitur; nimirum ægritudo ex eo, quod alter quoque potiretur eo, quod ipse concupiscerem. Quam id me male urebat! quantum mihi, in æmulum meum, odium concitabat, quod ne morte quidem ipsius placari posset! si quidem, sicut scriptum est in Canticis canticorum, fortis est ut mors dilectio; dura ut infernus æmulatio.

C A P. XVIII.

O Insensatum ac stolidum! quis me fascina-
verat, ut, relicta veritate, ad fabulas con-
verterer? quis palatum animæ meæ ita perver-
terat, ut solum illi dulcesceret, quod de foetida
limosaque carnis concupiscentia prodiret? quis
me ita immutaverat, ut foedum, impurum, iris
ac suspicionibus refertum amorem, pura; ju-
cunda, secunda, tibi que soli debita dilectione
mutarem? Si fieri mihi mutuam vellem in a-
more, quem potius, quam te, amarem, qui
diligis diligentes te, qui amare prior occupas,
qui non immutaris, qui temere ab amicitia
non abis? Si expeterem, qui ultro se mihi dede-
ret, quem potius quàm te eligerem, quia amore
amoris mei langues, qui dies noctesque, ca-
pillis rore conspersis, & cincinnulis guttis no-
ctium plenis, excubas ad ostium cordis mei,
& pulsas, & amatoris illis verbis clamas, A-
peri mihi, aperi mihi, soror mea, & sponsa,
formosa mea, columba mea?

C A P.